Episcopus fuit: qui in die ascensionis elevavit manus suas et benedixit apostolis in episcoporum gradum ordinans et dicens. Sit vera fides firma in corde. Galea salutis in capite. Signum crucis in fronte. Verbum veritatis in ore. Voluntas bona in mente. Dilectio dei in pectore. Precinctio castitatis in circuitu. Honestas in actione. Sobrietas in consuetudine. Stabilitas in bonitate. Humilitas in prosperitate. Patientia in tribulatione. Spes in creatore. Amor vite eterne. Perseverantia bona usque in finem. AMEN.

DE XII. ABUSIVIS OMNIUM.

Sapiens sine bonis operibus. Senex sine religione. Adolescens sine obedientia. Dives sine elemosina. Femina sine pudicitia. Dominus sine virtute. Christianus contentiosus. Pauper superbus. Rex iniquus. Episcopus negligens. Presbiter sine disciplina. Populus sine lege. Sic suffocatur iustitia. Canticum psalmorum animas decorat. Invitat angelos in adiutorium. Fugat demones. Expellit tenebras. Efficit sanctitatem. Hominum peccatorum refectio mentis est. Delet peccata. Similis est helemosinis. Scorum adiungit fidem. Sicut sol illuminat. Sicut aqua sanctificat. Sicut ignis exurit. Sicut folium defluit. Diabolum offendit. Dominum ostendit. Voluntatem carnalium extinguit. Oleum misericordie est. Sors lectione est. Pars angelorum electa. Desperationem eicit. Omnem furorem deprimit. Iracundiam frangit. Laus dei assidua. Similis est melli. Canticum psalmorum carmen electum est apud deum. Omne peccatum expellit. Vinculum caritatis emendat. Omnia perpetrat. Omnia suffert. Omnia docet. Omnia significat. Animam magnificat. Os purificat. Cor letificat. Curtem excelsam edificat. Hominem clarificat. Sensus aperit. Omne malum occidit. Perfectionem instruit. Excelsa demonstrat. Desiderium regni celestis dat. Pacem inter corpus et animam facit. Ignem spiritualem in corde succendit. Contra omnia una sollicitudo est. Certamen bonum cotidie est. Radicem malorum omnium expellit. Sicut lorica induit sicut galea defendit. Spes salutis est. Consolatio doloris. Refectio laboris. Notitia veri luminis. Fons sanctitatis. Hominem iuvenem castigat. Regnum dei super terram dat. Tedium anime detrahit. Tuba mirabilis est. Qui diligit canticum psalmorum assidue: non potest peccatum agere. Qui habet laudem dei in corde suo: